Viro clarissimo, doctissimo

Carolo Morgenstern,

in Universitate Dorpatiensi

Literarum Professori, cet.

S. P.

Joannes Luzac.

Recte ad me delata sunt munera, quibus me nihil tale exspectantem beasti: Præclara hæc doctrinæ tuæ monumenta, paucorum annorum spatio in lucem edita, & eruditionem tuam luculenter demonstrant, & ingenium, & diligentiam. Omnia gratissima acciderunt, eoque gratiora, quod in nonnullis eandem mecum reperisse mihi visum sum cogitandi viam, præsertim in Oratione de Literis Humanioribus, sensum veri, honesti, & pulchri excitantibus atq; acuentibus; cujus equidem argumenti partem, quantum ad sensum veri & honesti spectat,

~~1~~6
99v

olim quoque persecutus sum in Oratione, ante hos 18. annos habitâ, de Eruditione altrice Virtutis Civilis, praesertim in Civitate liberâ: Quapropter, dotes animi ingeniique Tuas pro meritis agnoscens, benevolentiam praeterea Tuam honorifico munere expertus, eamque mutuo propediem (si Deus velit) dono literario, quod jam sub prelo est, rependere gestiens, committere nolui, ut literae a Senatu nostro ad Universitatem Dorpatiensem abirent, ego vero Te insalutatum negligere viderer. Illi Academiae praecipuum, augurer, in Te erit praesidium & ornamentum. Res tuas age feliciter, Vir clarissime; me Tibi amicum habe; & vale.

Leidae 4° Februarii die 1803.

Joh. Luzac
kam um bey der Explosion eines Pulverschiffs zu Leyden, d. 12. Jan. 1807.

A Monsieur

Monsieur C. Morgenstern
Professeur en Eloquence & Belles-
Lettres &c &c

à l'Université de
Dorpt en Livonie

200